



~~Litt.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

11-58.

SIGNAT. ~~ccccccc~~ CCCXIII.

68

CLXXI.

De

# LAUDIBUS

PSALMORUM

dicturum & valedicturum

DANIELEM CHOINANUM Lubenaviâ Lusat.

atq; ordine sic ferente

versionem Psalmi XIIIXvi Latinam metricam

eidem succenturum

MARTINUM BUDERUM Hochkirchâ Budissin.

publicè significat

benevolam utrig; auscultationem expetens

JCH. Theiss M. P. L. C. Schol. Evangel. Rector.

Pulcrum imò necessarium est pueros assuescere legendis & au-  
diendis Psalmis & lectionibus Scripturarum sanctorum.

Luther. informul. Miss. pro Eccles. Wittenberg. Tom. II.

Jenens. Latin. fol. 292. a.

BUDISSÆ mense Septembri anni c15 c1c LXIII.

impressit CHRISTOPH. Baumann.



**C**onas seu characteras animorum quicunq; & data o-  
 perâ atq; ex professo, & *κατὰ συγκυρίαν* sive obiter de-  
 pingere & signare voluerunt, profectò infelices sagit-  
 tas emiserunt ad scopum præfixum ferire necessariò  
 aut non potuerunt aut non voluerunt, nisi librum illum Scripturæ  
 S. quem *Psalmorum* seu *Psalterium* (DEUM immortalem! quantum  
 opus) appellant, priùs evolverint, percurrerint, perlegerint, pro-  
 beq; excusserint & commentati fuerint. Idq; hâc vice vobis pla-  
 num faciam non meis, sed *Martini Lutheri* verbis, cùm quòd ea  
 absq; dubio fortiora & ἐμφαπτώντες meis futura sunt, tùm quòd  
 non sine magno meo & aliorum cordatorum ac piorum virorum  
 mœrore atq; indignatione quotidie experior, quomodo beati illi-  
 us Viri commenta gravissima & dulcissima non solùm negligan-  
 tur, sed etiam à virulentis adversariis, ὡσεὶ κέντρον mendicorum  
 à canibus, allatrentur, lacerentur, discerpantur, distrahan-  
 tur, in-  
 que alienum planè & contrarium sensum non convertantur sed  
 in multorum perniciem pervertantur. Habentur autem in *Tomo*  
*Tertio Wittenbergensi* (fol. 399. seqq.) quomodo ea ex Germanico  
 idiōmate transposuit *Justus Jonas*: Multi ex veteribus & S. Patri-  
 bus *Psalterium* præ omnibus reliquis Scripturæ libris magnificè  
 commendarunt, & mirè amare se *Psalmos* testati sunt. Et profe-  
 ctò commendari meretur omnibus hic libellus, quamvis paryus,  
 nec indigent ascitiis laudibus Davidici Psalmi, ipsi abunde com-  
 mendant sese: & planè hic verum est, quod dicitur α, *Opus cele-  
 brat artificem*. Evidem nullum puto librum exemplorum aut  
 historiarum sub cœlo esse, qui *Psalterio* conferri possit: proinde  
 si votis adhuc à Deo impetrari deberet, ut omnia, quæ in omnibus  
 veris Sanctorum historiis essent optima & selectissima, undique  
 excerpta & collecta brevissimè & aptissimè, in unum compinge-  
 rentur libellum, hoc quod sic ex optimis, ex ipso flore rerum in  
 totâ Scripturâ à spiritualissimo aliquo & summo artifice singi aut  
 con-

(α) *Sirach. IX, 24:*

"conflari posset, haut dubiè futurum esset tale Davidis Psalterium  
 "aut hujus Psalterij simillimum. Nam hīc invenies non unius tan-  
 "tūm Sancti vitam, sed quomodo caput omnium Sanctorum  
 "CHRISTUS (ille enim in Psalmis depictus est) affectus fuerit, quo-  
 "modo adhuc omnes credentes, rebus tristibus juxta ac secundis  
 "affecti sint; quomodo se erga Deum, erga amicos juxta ac inimi-  
 "cos gesserint; quomodo se in varijs periculis & afflictionibus, in  
 "medio temptationum incendio & maximis necessitatibus habue-  
 "rint. Præterea & hæc Psalmoruim præcipua virtus est, Cūm in re-  
 "liquis scriptis & historiis opera tantum & corporalis exercitatio San-  
 "ctorum describantur, admodum paucas invenias historias, quæ sic ver-  
 "ba, voces & sermonem (qui character animi est) nobis describant in  
 "Sanctis. Ibi igitur piarum mentium delicium potest esse Psalte-  
 "rium, ibi adeò jucunda lectio sunt Psalmi, ut ex eis non modò ope-  
 "ra Sanctorum, sed & singula verba & voces, sed & gemitus & collo-  
 "quia, quibus coram Deo in temptationibus juxta ac consolationi-  
 "bus usi sint, sic cognoscas, ut, quamvis mortui sint, tibi tamen in  
 "Psalmis adhuc vivant & loquantur. Aliæ igitur historiolæ & ex-  
 "empla Sanctorum, quæ opera describunt, si Psalterio conferan-  
 "tur, mutos nobis Sanctos proponunt, & omnia ibi muta sunt: in  
 "Psalmis verò, quia voces sunt in fide orantium, omnia vivunt, o-  
 "mnia spirant & vivos nobis, alacres, ac fidei affectu in medijs etiam  
 "afflictionibus erectos exhibent Sanctos. Mutum hominem po-  
 "tius mortuum truncum quām hominem dicas, & nullā re homo  
 "à reliquis pecudibus, atq; sermonis usu discernitur: figuram ho-  
 "minis, si artificis accedat industria, vel saxum accipit: & reliqua  
 "ἄλογα sic edunt, bibunt, sic etiam sensuum utuntur organis, atq;  
 "nos, ad tolerandos autem labores sunt etiam corpore validiori:  
 "Sermo solus hominem discernit à belua, is autem mentis character  
 "est & speculum. Cūm igitur sermonem, verba & voces Sanctorum  
 "describant Psalmi, ipsorum mentem nobis depingunt: non  
 "enim familiares illas & vulgatas voces Sanctorum describunt

"Psalmi, sed patheticas illas & ardentissimas, ubi magno serio in  
 "ipso paroxysmo temptationum, quasi in quâdam acerrimâ luctâ  
 "cor suum, non coram amiculo, non coram homine, sed coram  
 "Deo suo effuderunt. Psalmi igitur non modò opera & voces San-  
 "ctorum, sed ipsum abditissimum cordis ipsorum thesaurum, inti-  
 "mos animi motus & affectus cordis exprimunt. Vultus & os Da-  
 "vidis, quo varias illas ærumnas & pericula, quibus Deus eum ex-  
 "ercuit, pertulerit, videre velles? lege Psalmos, qui tibi non tan-  
 "tum externum sed & interiore illum Davidem expressius red-  
 "dunt, quâm ipse sese coram ullis verbis describere potuisset. Quid  
 "igitur præ Psalmis sunt reliquæ historiæ, quæ opuscula tantum &  
 "nescio quæ miracula Sanctorum decantant? Nondum cor & af-  
 "fectus video, etiamsi opera & miracula videam. Quemadmodum  
 "autem longè mallem audire Davidem aut similem Sanctum lo-  
 "quentem, quâm videre illius corporalia exercitia: Ita adhuc o-  
 "mnium maximè optârim intimas cogitationes Davidis, & inti-  
 "mum illud certamen fidei cognoscere. Hoc autem præstant  
 "Psalmi opulenter, ut ex eis cognoscere possimus, quomodo San-  
 "cti in temptationibus animati fuerint, quo ardore verborum animi  
 "sui affectus expresserint. Cor enim humanum non aliter habet  
 "atq; navicula in medio mari, quæ ex omni parte periculis & ven-  
 "torum exposita sit ludibrio. Hinc enim animos nostros solicudo  
 "& metus futuri mali, veluti subita tempestas, exarmat: Illinc p-  
 "ell animitas & cordis mœstitia veluti altis fluctibus nos opprimit:  
 "Mox fiducia rerum secundarum plenis carbasis in cœlum nos tol-  
 "lit: Rursus securitas bonorum præsentium præter spem naviculam  
 "scopulo illidit. Tot igitur hujus vitæ discrimina, ejusmodi mille  
 "pericula, facilè nos accidunt & excitant, facilè docent ex intimis su-  
 "spirare visceribus, totum cor effundere, & toto mentis ardore ad  
 "cœlum clamare. Longè ardenteres querelæ sunt eorum, qui ve-  
 "rè dolent, quâm qui animi angustiam simulant tantum: Longè  
 ala-

(β) Confer. Hieronym. lib. II. Dialogor. advers. Pelagian. cap. 3.

«alacrior, excitatior, ferventior & vultu & verbis & toto oris gestu  
 «est is, qui ex corde gaudet, quam qui simulatè tantum frontem ex-  
 «porrigit. Hinc Germanicè dicitur, Es gehet nicht von Herzen γ/ quan-  
 «do tristes rident, aut læti lacrimas vi exprimunt. Psalmorum voces  
 «ex veris & vivis prorumpunt affectibus: Bona enim pars Psalmo-  
 «rum ejusmodi pathetica sunt & ardentissimorum affectuum ver-  
 «ba, omnis generis temptationum & afflictionum. Nusquam invenies  
 «felicius aut significantius expressum gaudentis & exultantis animi  
 «affectum, quam Psalmos gratiarum actionis seu Psalmos laudum:  
 «ibi enim in Sanctorum corda haut aliter atq; in Paradisum aut in a-  
 «pertum cœlum licet respicere, quantâ ibi varietate subinde exori-  
 «antur amœni illi flosculi & micantissimæ stellulæ dulcissimorum  
 «erga Deum & illius beneficia affectuum. Econtra nuspiciam inve-  
 «nies significantioribus verbis descriptam mentis angustiam, animi  
 «dolorem & mœstitiam, quam in Psalmis temptationum seu querela-  
 «rum, ut Psalmo VIto & similibus. Ibi ipsam mortem, ipsum infer-  
 «num vides suis depictum coloribus, ibi omnia vides atra, omnia  
 «tristia conspectu iræ divinæ & desperationis. Sic etiam ubi de spe,  
 «de timore loquuntur Psalmi, sic suis nativis vocibus hos affectus  
 «describunt, ut nullus Demosthenes, nullus Cicero hoc expressurus  
 «fuerit vividius aut felicius. Nam, ut dixi, hoc præ ceteris scriptis  
 «proprium habent Psalmi, ut Sancti eos non in ventum loqui sint,  
 «non ad amiculum, sed coram Deo suo & ut coram oculis Dei. Hoc  
 «enim in primis affectus acuit & accendit, hoc omnia ossa, omnes  
 «medullas veluti excitat, cum creatura teriore coram Deo suo loqui-  
 «tur. Quando alias amiculo aut homini conquerimur nostras ne-  
 «cessitates, non sic ardent, non sic vivunt, non sic æstuant omnia af-  
 «fectum impetu. e. q. s.

Hoc nempe vult Beatisimus Lutherus, Davidem in suis Psal-  
 mis esse ἡγοποὺς δεινότατον ἀμά καὶ ἐνέργητικότατον, qui affectus singu-  
 lorum in quavis sorte hominum effigiare & ad vivum usq; expri-  
 mere

mercede valeat longè melius & efficacius, quām si oratores etiam perfectissimi omnes eloquentiæ fontes aperiant, ut non solum incendere auditores, sed ardere ipsi etiam videantur. Est enim Ethopœia, dicente Nidoro Episcopo Hispalensi (lib. II. Origg. cap. 14. quem hanc in rem laudat Vossius d) in quā hominis personam singimus pro exprimendis affectibus ætatis, studij, fortunæ, lætitiae, sexus, mœroris, audaciæ. Nam cùm pirata persona suscipitur, audax, abrupta, temeraria erit oratio; cùm fœminæ sermo simulatur, sexui convenire debet oratio; jam verò adolescentis, improvida; & senis, debilis; & militis, fortis; & imperatoris, gravis; & parasiti, suabilis; & rustici, inculta; & philosophi, perornata; diversa oratio dicenda est. Aliter enim loquitur gaudio affectus, aliter vulneratus. In quo genere dictio-  
nis illa sunt maximè cogitanda, quis loquatur, & apud quem, & de quo,  
& ubi, & quo tempore quid egerit, quid acturus sit, aut quid pati possit,  
sibæ consulta neglexerit. Res sanè judicij exactissimi, & cui singula-  
rum personarum characteres ex asse cogniti sint & perspecti, unde  
in eâ positum est totum Tragoëdiarum & Comœdiarum (quid ve-  
tat dicere? totius Poëtices) fundamentum, quod expressè indicat  
*Horatius* in opere doctissimo de *Arte Poëticâ* (v. 114.)

Intererit multum, & Divusnè loquatur an heros,  
matusnè senex, an adhuc florente juventâ  
fervidus, an matrona potens, an sedula nutrix,  
mercatornè vagus, cultornè virentis agelli,  
*Colchus* an *Affyrius*, *Thebis* nutritus an *Argis*.

Et paullò inferiùs dicit, se non ita scripturum (v. 237.)

Ult nihil intersit, Davusnè loquatur, & audax  
*Pythias*, emuncto lucrata *Simone* talentum,  
An custos famulusq; dei *Silenus* alumni,

Unde

(d) lib. V. Institut. Orator. c. 7. num I. Confer lib. II. c. 14. & Jul. Casar.  
Scaliger. lib. III. Poëtic. cap. 2. seqq. (e) Heinsius legit, Davusnè; Erasmus  
Divesnè loquatur an Irus: sed Divus rectissimè legitur. Davo oppo-  
nitur non heros sed herus.

7.

Unde etiam *Aristoteles* capp. ipsa septemdecim in medio libb. Rhetoricorum, quos tres scripsit, huic rei insumisit, ex quibus Rhetorum recentiorum amplissimus campus scse exporrexit. Exempla apparent hinc inde in Historicis, Græcis atq; Latinis, ingenti tamen cum discrimine, quod Commentatorum est cernere: eximiam etiam exinde laudem reportavit *Publ. Ovidius Naso* conscriptis epistolis *Heroidum* (ita habet Inscriptio) & *Heroum* (si in hunc venire censum debent adulteri, raptores ac desertores) quem amulari seu imitari potius voluit, in materiâ sanè magis piâ, proficuâ & graviori, *Helius Eobanus Hessus*. Sed & hodie nihil rostris Ecclesiasticis frequentius, ubi aut Prophetis aut Evangelistis animam reddere volunt Homiliae, quamquam alter altero felicius, præsertim si quis plus quam tria Stesichori noverit, nec adeò claudorum more unam tantum pilam retinuerit: quâ fini olim hodieq; juventus Rhetoricae arenæ præparanda arma ista Ἡροποίας apprehendere, gestare & vibrare jubetur, quod *Apthonij*, *Libanij*, *Theonis*, & aliorum, lucubrationes præscriperunt. Verùm enim verò post res ita gestas, & à tot scriptoribus copiosissimè secundum omnes apices atq; puncta consignatas atq; depictas viris quidem cordatis & eruditis facillimum omnino fuerat sermones istos componere, affectus effingere, mores conformare; neq; quicquam impediebat, quod minus *Daniel Heinsius* in *Peplo Gracorum Epigrammatum* ὡς Δότο Σωκράτης, Εσνοφῶνος, Αεριστέλης, Διογένης τὸ Κυνός, Επικήντρος, τὸν Πυθαγορικὸν καὶ Πυθαγόρεα scriberet, quia, quicquid illi scripserant, statuerant, propugnaverant, priùs in numerato habebat & tanquam unguis digitosq; suos noverat. Insuper in dubio est atq; incerto, an omnes illi, quos ita περισταπονοῦσιν, aut umquam ita locuti sint aut locuturi fuerint, quod vel solo Helenes & Paridis Ovidiani exemplo statuminari posset, qualia de Davide & alijs sanctis, quorum character & stylus in Psalterio sancto exprimuntur, ne quidem suspicari fas est, quum præsertim omnium sanctorum coryphaeus, περισταπονοῦσιν & ἀρωτολόγος in eo ipso verba fundat, in cuius corde,

num-



numquam ullus inventus est dolus, neq; ex ore mendacium prodidit; & per Sanctos illos loquutus sit Spiritus S. qui scrutatur  $\zeta$  omnia, spiritualia spiritualibus comparans. Recte proinde, ut alias taceamus, vel hâc de caussâ *Lutherus* in superioribus *Psalterium Davidicum* commendavit, justissimæq; Ethopœias exactissimum,  $\tau\pi\omega\chi\alpha\mu\mu\circ\circ$  atq; exemplar statuit, quod characteras affectuum, quibus sancti viri seu elati fuerint seu depresso, omnibus numeris absolutos examissim nobis exhibeat, nosq; non immerito illud hodierno die in primis collocamus atq; magnificimus, omnibus alijs excellentissimorum Poëtarum, Oratorum & Philosophorum, Apelléis lineis & picturis præferentes.

EX In psalteri gratia Docta Manet.

Proinde non absurdè fecisse censendus fuero, cum DANIEL CHOINANUS Lubenaviá Lusatus stylo Græco, ex cuiusa, sui Promotoris consilio & instinctu, Scholæ nostræ valedicturus foret, quod ei thema de laude & usu Psalmorum Davidicorum tractandum imposuerim. Misit autem Eum ad nos Pl. Reverendus & Doctiss. Vir JOHANN. CHOINANUS P. L. C. & Ecclesiae Lubenaviensis Inspector vigilans, ad d. IIx. Octob. anni CIC CIC LIIx. ut studia sua trivialia sub docturâ nostrâ absolveret. Interea temporis ter publicè dixit: Anno nempe supra sexagesimum primo in Paschalibus feriis stylo soluto Latino de Christo Rege; anno seq. in Pentecostal de comparatione Spirit. S. cum Aquâ carmine Latino hexametro; & hujus anni ferijs iterum Paschalibus de Resurrectione Christi carmen Latinum Elegiacum non inelegans recitavit. Ut & valedicentem benevolè audiatis, amicè ego & officiosè rogo, ipsum verò cum voto devoto dimitto, ut, cum in illius ad nos accessu Teia ônus symbolicè quasi concurrant, tandem bono cum Deo, juxta solenne veriverbum,  $\alpha\omega\alpha\gamma\alpha$  ônus perficiat & percipiat. Et quia MARTINUS BUDERUS Hochkirchâ Budissinenlis Psalmum XIIIXvum, quem carmine Latino Elegiaco transposuit, ipsi succenturus est, eandem ipsi benevolentiam precor atq; exopto.

(§) I. Cor. II, 10. 13.

Ung. VI 58. (A)

ULB Halle  
002 686 287

3



56,

VDI 7  
Sep. 2000 Pcl.







# IBUS

# DRUM

## **Hicturum**

# IM Lubenaviâ Lufat.

## **ferente**

## *atrinam metricon*

三

# Hochkirchâ Budissin

**fiscat**

*tips from expert users*

*tionem expertens*  
hol. Evangel. Rector.

**S. C. - 1 - 11 - 8**

os asfuerescere legendis &  
famam.

*Scripturarum sanctarum  
dei Iustitiae Tomo II.*

*ef. Witt*

• 292. A.

ri anni cIc cIc Lx

284